

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi  
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

**Pasquali, Giovanni Battista**

**Venetiis, 1755**

Euclides.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-844**

## E U C L I D E S.

Venetiis per Erhardum Ratdolt Augustensem MCCCCLXXXII.

*Erhardus [1] Ratdolt Augustensis impressor Serenissimo Almae Urbis  
Veneræ Principi Ioanni Mocenico S.*

Solebam antea, Serenissime Princeps, mecum ipse cogitans admirari, quid causæ esset, quod in hac tua præpotenti & fausta urbe cum varia Auctorum veterum novorumque volumina quotidie imprimerentur, in hac mathematica facultate vel reliquarum disciplinarum nobilissima, aut nihil aut parva quædam & frivola in tanta impressorum copia, qui in tua urbe agunt, viderentur impressa. Hæc cum mecum sæpius discuterem, inveniebam id difficultate operis accidisse. Non enim adhuc quo pacto schemata geometrica, quibus mathematica volumina scatent, ac sine quibus nihil in his disciplinis fere intelligi optime potest, excogitaverant. Itaque cum hoc ipsum tantummodo communi omnium utilitati, quæ ex his percipitur, obstaret; mea industria non sine maximo labore effeci, ut qua facilitate litterarum elementa imprimuntur, ea etiam geometricæ figuræ conficerentur. Quamobrem, ut spero, hoc nostro invento hæc disciplinæ, quos mathematæ græci appellant, voluminum copia sicuti reliquæ scientiæ brevi illustrabuntur. De quarum laudibus & utilitate possem multa impræfens adducere ab illustribus collecta Auctoribus, nisi studiosis jam omnibus hæc nota essent. Illud etiam plane cognitum est cæteras scientias sine mathematicis imperfectas ac veluti mancas esse. Neque hoc profecto negabunt Dialectici, neque Philosophi abnuent, in quorum libris multa reperiuntur, quæ sine mathematica ratione minime intelligi possunt. Quam divinus ille Plato meræ veritatis arcanum, ut adipisceretur, Cyrenas ad Theodorum summum eo tempore mathematicum & ad Ægyptios sacerdotes enavigavit. Quid quod sine hac una facultate vivendi ratio non perfecte constat? Nam ut de Musica taceam, quæ nobis muneri ab ipsa natura ad perferendos facilius labores concessa videtur; ut Astrologiam præteream, qua exculti Cælum ipsum veluti scalis machinisque quibusdam conscendentes, verum ipsius naturæ argumentum cognoscimus; sine arithmetica & geometria, quarum altera numeros, altera mensuras docet, civiliter commodeque vivere qui possumus? Sed quid ego in his immoror, quæ jam omnibus, ut dixi, notiora sunt, quam ut a me dicantur? Euclides igitur Megarensis, Serenissime Princeps, qui XV. libris omnem geometriæ rationem consummatissime complexus est, quem ego summa & cura & diligentia nullo prætermisso schemate imprimendum curavi, sub tuo numine tutus scælixque prodeat.

[1] Erhardum Ratdolt schemata geometrica primum typis expressisse testatur hæc Epistola, cui fidem auget *Bunemannus* in Cat. Seideliano pagg. 146. 147. Vide *Maittaire* T. IV.

pag. 434. Ceterum animadvertas velim hominis Germani deridiculam rusticitatem qui nomen suum nomini Principis & Mæcenatis præponere non dubitaverit.

